Quæstio Medica Quodlibetariis Disputationibus exagitanda In Scholis Medicorum die Iouis 15a Decemb. Doctiss. Viro Domino Petro Rauin Doctore Medico Moderatore prudentissimo.

An Anginæ Remedium Venæ Sectio?

Morborum qui in humorum vitio consistunt (quorum calidi ~~humores~~ breviores, et acutiores morbos, frigidi longiores, et minus acutos, et similes illis anni constitutiones, interdum per circuitus repetentes, interdum continuos pariunt) diversitas non solum ab ipsis, sed à partium (à quibus vel à morbo præcipua curandi indicatio capienda) varietate dependet, tantum aliquando facessit naturæ negotium; ut illi pro imbecillitate aut irruentis magnitudine cedere coactæ, interitum funestum afferat, vel superata, robore aut bonitate naturæ (morborum medicatricis) aut opera Medici foras repellatur, incolumi subiecto remanente.

In horum numero habetur angina, morbus ut plurimum acutissimus, in compositione primò, et præcipuè in magnitudine consistens: cuius pro humoris et partium varietate cum diversæ sint species, præcipua tamen et veræ inflammationis genera continentur, à fluxione vel plurimum sanguinea, vel biliosa (maiorem dolorem excitante) à capite in fauces et partes vicinas decumbente ortum habentes, raro à pituitosa in amplioribus tunicis detenta, procedentes, quæ et nothæ dicuntur.

Huius signa pathognomonica, deglutiendi et spirandi difficultas, dolor acerbus fauces occupans, cum febre acuta, calore, rubore, et tumore, quo nullo in collo apparente, malum: et interdum lethale, et sic contrà, bonum et salutare, ut erysipelate foris intro converso in ægri perniciem, intus vero foras reiecto, in ægri salutem, contingit. Hæc vel intenduntur, aut remittuntur periculosiorem, et acutiorem, aut minus periculosam anginam efficiunt.

In hac ut in cæteris morbis acutissimis difficile malum, maximè si nihil in cervice, aut in faucibus fiat conspicuum, unde præsentis strangulationis imminet periculum. Ab angina evadentibus sequuntur, quam plurimis accidentibus, sive tamen illis difficilius curationem admittentibus, in pulmonem facta conversione, quam pus indicat, nisi intra dies septem purgent, purulenti evadunt.

In anginæ ut cæterarum inflammationum principio etiam in cubito secare tanquam compendiario remedio, tum eas quæ sub lingua sunt + minorificæ etiam sine medicamentis prodest: interdum tamen pro cæteris humoribus medicari quidem licebit, tum blandioribus medicamentis, ut cassia, rheo, syrupo rosarum laxatiuo, tamarindis, manna, diacatholicone, cum clysteribus. Partes vero raro initio repellentia et adstringentia minimè sunt admovenda, sed sumenda, ut rosarum, liliorum, mixarum, palmarum decoctum, dianucum: postmodum digerentium usus erit idoneus, habita ratione qualitatis materiæ fluentis, et ætatum.

Ergo Anginæ Remedium Venæ Sectio.

Hæc Andreas Dubreil Andegauus, 1569.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

Domini Doctores Disputri

M. Michael Marescot.
M. Philbertus Landenot.
M. Guillelmus Capel.

M. Nicolaus Le Gros.
M. Guillelmus de la barre.
M. Johannes de Verneuil.

M. Joannes Rochon.
M. Jacobus Charpentier Decanus et Profess. Reg.
M. Petrus Chouzet.